

v.1 Ab Jove principium rursus cape carminis orsi,
2 Musa : decet vatem nil non Jove rite vocato
3 moliri et sanctum praefari in singula nomen,
4 praesertim regem egregium bellique domique
5 dum damus et primo paulatim a luminis ortu
6 crescentem varios rerum formamus in usus,
7 experti quanto imperia et vis nescia recti
8 stent populis cassique animi ratione potentum.
9 Tu modo, si meriti Delphos tot saecula silentes
10 cortinamque tuam et sacrata recludimus antra,
11 adsis, o Thymbraee, favens, pater, aviaque ausis
12 pande novum nemus et nulli sacra nota priorum :
13 primus ego, veterum damnato more parentum,
14 Phoebeo vetitos culpavi in carmine lusus,
15 primus inexpertum mundi per inane vagatus,
16 perpetuam seriem tractus Telluris ad ipsos
17 ab Jove deduxi servatoque ordine rerum
18 suspendi solidam naturae ex aere catenam ;
19 et nunc arma strepant duri licet undique Martis
20 proque levi dextram calamo gravis hasta fatiget
21 et terat inclusum vatis caput aerea cassis,
22 non tamen Aonidum conceptus pectore cessit
23 dulcis amor : juvat irriguos accedere fontes
24 rursus et intacta crinem contexere lauro
25 inventumque deum, divini carminis usum,
26 post superos ipsumque Jovem, post semina prima,
27 dicendas merito regum convertere in artes ;
28 mox tamen egregias virtutes actaque vestra
29 exsequar et latum effundam, vir magne, per orbem
30 exemplisque tuis saecula illustrabo futura.
31 Principio gravidam, cum primum menstrua sextum
32 viderit et pleno Phoebæ radiaverit igni
33 (nam quae deinde subit, vitali innoxia partu
34 interdum, numeri natura adjuta potentis),
35 jam tum cura vigil carae nutricis habendae
36 excitet et, quando illecebris luxuque profano
37 exuimus jam pridem animum affectusque parentum
38 et pudet in dulces distendere pectora natos,
39 at saltem pretioque dato donisque paranda,
40 materno si qua ingenio velit aegra subire
41 obsequia et blandi fastidia ferre laboris.
42 Hanc neque non validam patiar, ne regius infans
43 contactu culpam trahat et spem fallat avorum,
44 nec placet aut jam tum vergenti ignava papilla
45 aut contra rudis et prima quae foeta juvena
46 nesciat infirmi nutrix mala taedia alumni
47 sponte pati et querulo vagitu rumpere somnos.
48 Adsint praecipue mores vitaeque probatae

49 compositus tenor et qualem decet esse pudentis
 50 matronae : neque enim interdum minus ubere blandae
 51 nutricis pueri attrahimus, quam semine ab ipso
 52 matris et antiqua ductorum ab origine patrum.
 53 Ac veluti silvae laudataque poma saporos
 54 degenerant patriumque solum mutata recusant
 55 ferre genus notum et consuetos arbore succos,
 56 sic hominum ruit in pejus generosa propago
 57 alturae vitio indignae et, nisi cura resistat,
 58 naturamque novam atque externas degener artes
 59 induat et gentem paulatim exsudet avitam.
 60 Atque ideo frugique animorum acrisque juventae
 61 insignem prius exquirunt, tum deinde salubri
 62 disponunt habilem ventura ad munia victu
 63 dilutique mero Bacchi, licet humida vina
 64 ipse parum credam succis differre cicutae
 65 in puero, nisi septenis jam solibus actis
 66 decoxit tenera conceptum aetate fluorem.
 67 Nam geminam mox post hyemem rude poscere "pappa"
 68 incipiat puroque buas de fonte petitas :
 69 ante reformidant quaeque et, quod saepe videmus,
 70 siquando solito candens liquor ubere desit,
 71 horrent lac quoque non suetum et jejunia durant
 72 (tantum usus valet in teneris !) notasque papillas
 73 poscunt et sicco nequicquam gutture lambunt
 74 vagituque replent puerili concava tecta.
 75 Quod nisi, quam primum causa morboque reperto,
 76 occurris culpae et mammaram claustra relaxas,
 77 nequicquam pius infantes miserabere questus
 78 flaventique voles miseris succurrere capra,
 79 praesertim si conceptus properataque damno
 80 est Venus et non ulla uteri spes arte levandi.
 81 Verum, haec ut teneris metuenda infantibus aevi
 82 ignarisque cibi, sic, postquam firmior aetas
 83 naturae jam praesidio et muniverit armis,
 84 proderit invitos etiam multumque rebelles
 85 intempestivo lactis depellere ab usu
 86 (paulatim tamen et nequa vim sentiat infans !)
 87 sordentique luto et tactu picis ubera nigra
 88 porgenda aut aloes occulto infecta sapore,
 89 sponte sua blandum ut nectar desuescat amare,
 90 offensus totiens suppositi fraude veneni.
 91 Illud in his moneo repetens, nequando solutum
 92 nexibus et tepido perfusum corpora rore
 93 aut tenues vestis mutatum atque humida lina,
 94 ante crepundillis properes involvere suetis
 95 et solitis arctare modis undantia membra,
 96 bracchia quam surasque breves et cerea nati
 97 crura locis aptes studio composta fideli.
 98 Nam saepe, incautae culpa nutricis inertis,
 99 vidi ego mendoso foedam distorta plicatu
 100 membra notam serae traxisse in tarda senectae
 101 tempora nec medicae potuere avertere curae,
 102 Hippocratesque senex et Pergameus Galenus,
 103 nec suspensa deis miserandae vota parentis.
 104 Quid dicam, undantem quae porrectura papillam
 105 mollibus e stratis gnavum levat impigra corpus,
 106 nec gremio exceptum carum nisi lactat alumnum,

107 ne superincumbens miti decepta quiete
108 suffocet infirmum et nequicquam vana moventem ?
109 Quid, quae pensilibus cunis stans ubera praebet,
110 ne tunc illa quidem aut cubito securo gravato
111 inniti sociave gravem sine fallere noctem
112 (tanta est humanis taciti pellacia somni !) ?
113 At, cum plena satur jam duxerit ubera natus
114 inque vicem blandus sopor aggravat, ecce sororem
115 advocat et parvi curam commendat alumni :
116 illa sedens dextra cunas movet et simul ore
117 invitata tenues modulata ad carmina somnos.
118 Nam puero modo Nestoreae longaeva senectae
119 saecula optat, nunc Pellaei ducis incluta regno
120 nomina, Achilleae nunc fortia proelia dextrae :
121 "Hunc non Cliniades facie, non voce Pericles
122 vincat, in hoc plebes firmet sua vota patresque,
123 ignotique velint populi potuisse videre."
124 Interea placida vagit si forte quiete
125 excitus, accurrit subito et plena ubera porgit
126 aut pictam ostentat volucrem aut laquearia tecti
127 aurata ac densum crepitantem ex aere canoro
128 bracteolam et lacrimas spectaculo avertit inani.
129 Nam mihi ne, quaeso, quisquam laudaverit illam,
130 quae personatum puero ostentare Cyclopa
131 gaudet et hirsuta Antiphatae terrere figura
132 crescentesque animos puerili in pectore frangit
133 indignaque replens cura miseroque pavore,
134 nescia quanta superstitio mortalibus aegris
135 damna ferat primisque haustum grave virus ab annis.
136 Quo magis et tenebras et caeca silentia noctis
137 formandi et strepitus jam tum contemnere inanes,
138 frigoraque innocuisque pati Spartana lavacri
139 artibus atque habili membris dare robora ludo,
140 sub Jove detectum victa cohibente capillum,
141 nec quicquam tactu horrendum gustave putare,
142 quod non perniciem temptantibus afferat ullam.
143 Nam, quamquam antiquo veterum de semine patrum
144 multa modis multis caeca ratione videmus
145 influere interdum et seros revocare nepotes
146 naturam gentisque notas ac signa referre,
147 pleraque sunt tamen alturae, nec inutilis aegri
148 usque adeo quisquam est animi, qui cernere murem
149 exiguum non sustineat, quem brassica tacta
150 laedat et aspectu vilis pallescat echini
151 aut rutam horreat halantem atque Cytorida buxum,
152 delicias regum et viridantis nomina sylvae,
153 multaque praeterea non dissona talia monstris,
154 si non vana parens et nutrix vanior illa,
155 dum cupido affectant similem ostentare parenti
156 maternumque probant utero grave teste pudorem,
157 singula rimatae cerei inclinamina alumni,
158 ingererent multa atque alerent, ea saepe probando,
159 quae crescente dehinc animo, crescentibus annis,
160 praesertim veteri exemplo subnixa suorum,
161 paulatim assumunt vires et robore adepto
162 ima penetranti radice in pectora tendunt
163 possessumque agitant hominem versantque premo ;
164 qualis ubi saepe ignoto commissus adhaesit

165 surculus aut platani trunco aut frondentis olivae,
166 ille quidem primo rudis impatiensque laborum
167 et tantum attactu excussus prope simplice euntum,
168 at, si fecundis adolevit robur ab annis,
169 securus tempestatum caelique ruinae
170 explicat ingentes ramos sinuosaque pandit
171 bracchia nativumque alte nemus occupat umbra
172 Largus opum regnatque immoto robore victor.
173 Nam cur arva juvat gnavus versata colonus
174 pomaque coguntur jussos dare mitia succos,
175 cur cadit ingenii vis insita deside vita,
176 si contra augeri nequit et mitescere cultu,
177 nec doctrina potest speratum infundere rectum ?
178 Scilicet aera solitus regione vagari
179 Falco levis, studio assiduo tamen atque labore
180 assuescit vigilem paulatim ferre magistrum,
181 dejectaque procul celsa de nube volucre,
182 rursus in obsequium solitum et sua vincla redire :
183 nos hominem foeta exceptum de matre cadentem
184 ignarumque sui et tantum ad monstrata paratum,
185 speramus non admonitu, non posse moveri
186 exemplo et primae blanda assuetudine vitae,
187 si modo non vana accedat cultura regentis ?
188 Nam cui non Cybele est collo vectata leonum
189 nota, quis Eoae nescit certamina gentis
190 impositasque arces nigrantis tergore beluae ?
191 Ipse greges inter memini atque armenta Sclavena,
192 qua deserta rhoas etiam nunc moenia monstrant,
193 indigenam vidisse lupum, quem matre perempta
194 nutritumque sero et foetae canis ubere pastor
195 miscuerat levibus Serbis fidisque molossis :
196 ille inter teneros versari innoxius hedos
197 custodisque modo foetas ambire capellas
198 aut silvis errare vagus semperque cruentus,
199 nec nisi raptata praedae cum parte redire.
200 Cura tamen princeps, lupus agnitus : hunc ubi primum
201 sensit adesse, animis hostilibus ilicet ire
202 obvius et morsu primus dare vulnera, primus
203 sternere humi prensus atque hosti insultare jacenti
204 cognataeque ferox laetari sanguine caedis.
205 Tantum humana potest longa experientia cura !
206 Quo magis, o, monitis huc quisque advertite mentem,
207 infantesque animos monstratorumque capaces
208 artibus et placido jam inde exercete decoro,
209 servili dicto procul exemploque remoto
210 degeneri, ne commentis exercita vanis
211 concidat in primo surgens nova pectore virtus
212 immanemque notam venientibus afferat annis.
213 Talis, Achaemenium quae regem Perside in alta
214 eduxit populisque Asiae regnisque verendum,
215 Spaco, et Romuleis multum laudata Latinis
216 Acca parens, gratoque pii quae munere alumni
217 nunc quoque in Hesperia nomen tenet advena terra ;
218 talis et ipsa, sinu quae quondam exerta parato,
219 Ithome, gravaida tunc primum matris ab alvo
220 excepitque Jovem venientem atque ubera parvo,
221 ubera nectareis porsit rorantia guttis.
222 Et tamen, exacto Pisaei pulvere lustris,

223 haec quoque pellenda est sensim tibi seque movenda
 224 tradendusque puer jam tum vitaeque magistro
 225 spectatae et simul eloquii rerumque perito,
 226 qui gravis et dudum nervoso incoctus honesto,
 227 hinc arte ingenioque, illinc praestantibus actae
 228 aetatis juvet exemplis, nec vita refutet
 229 doctrinam serpantque animis contagia foeda.
 230 Nam, licet egregie magnis doctrina decori
 231 Regibus et prudens sollertis gratia linguae
 232 hortandisque animis deterrendisque suorum
 233 militiaeque domique et, sicubi flagitat usus,
 234 legatum affari venientem, sicubi amicos
 235 alloqui et infenso socios ex hoste parare,
 236 malo tamen Curiosque rudes parcumque loquendi
 237 Spartanum, malo hinnitus praeponere equinos
 238 assuetum citharae aut siquid vetus attulit aetas
 239 horridius, quam Caesareae nitida agmina linguae
 240 errantemque annum deprensa ad signa vocatum,
 241 si vitae quoque cum tantis mihi dotibus affers
 242 flagitia atque malo conturbas mella veneno.
 243 Hinc ausi studium multi damnare politi
 244 oris et Aonios animi contemnere cultus,
 245 scilicet utilius multo mala gentibus aegris
 246 ignorare rati, quam splendida noscere factu,
 247 in pejus quando proni sumus ipsaque damno
 248 notitia est, si non superat respectus honesti
 249 Religioque deum fandi memorum atque nefandi,
 250 quis sine nec primi quondam potuere coire
 251 illi hominum coetus veniens nec crescere in aevum :
 252 nam leges qui fixerunt plerumque refigunt
 253 liberaque est illis libiti usurpata facultas.
 254 Ac, dum prima etiam titubat nunc sensibus aetas,
 255 nec capit impatiens animus majora laborum,
 256 profuerit tabulis virtutem et pariete picto
 257 ostentare patrum et decora enumerare parata,
 258 siqua domi : nam praecipue mentem illa remordent
 259 cognataeque adhibent stimulos imitamine laudis.
 260 Sed tamen et clari tumulo generosus Achillis
 261 ploravit Macedo, Marathonique acta soporem
 262 rumpebant auso patriam mutare carinis,
 263 nec frustra tot facta virum effigiesque priorum
 264 caelantes auro et Gangeo elephanto
 265 servabantque foro veteres ipsoque senatu :
 266 atque illum Geticum victa de gente vocarunt,
 267 hunc Scythicum, Cretensem alium ; sic Dalmata fractus,
 268 sic titulis cessit victorum Alemanicus axis,
 269 sic totiens Persis nuribus funesta Latinis.
 270 Omne adeo genus exempli certamine pulchro
 271 excitat egregiasque animas spe replet honesti :
 272 qualis ubi Eleo sonipes de carcere missus
 273 corripuit spatium atque ipso discrimine palmae
 274 tum demum accendit vires seque increpat ipse
 275 successu admonitus subeuntis et ilia tendit
 276 impatiens culpae ac vinci dolet aemula virtus.
 277 Interea studiis Musarum assuesce volentem
 278 paulatim, blandique ediscat imagine multa
 279 commenti quae Pierio nisi tecta lepore
 280 horret adhuc animus tener ingeniumque recusat.

281 Aspera enim via virtutum acclivisque recessus
 282 ducendusque puer quasi versicolora per arva,
 283 ac veluti intexendi aditus foliisque rosaque
 284 fallendusque labor vario oblectamine rerum ;
 285 ceu cum littoribus vacuis innupta puella
 286 processit longe et comites matremque reliquit
 287 imprudens, ludo intenta attritisque lapillis,
 288 nec, revocata nisi, errorem vix denique sensit.
 289 Adde quod et numerus multum modulataque pollet
 290 junctura illabique animo atque illapsa teneri.
 291 Tu modo non tantum obscaenos, opprobria Phoebi,
 292 edico, procul, o, vates, procul inde relega,
 293 dignos qui scelerum persolvant sanguine poenas
 294 aut vivi terrae infossi aut vivi ignibus hausti,
 295 sed quoscumque olim nihil in commune referre
 296 videris et versus apinis implere sonoros.
 297 Nam quae foeda viro jactura in principe plus est
 298 temporis aut tam nulla hominum reparabilis arte,
 299 cui centum hinc aures pateant licet indeque centum
 300 Lernaïque modo geminet capita undique monstri,
 301 vix ideo fuerit rebus satis unus agendis,
 302 nec facile imbutus nugis queat inde revelli
 303 vana qua multiloquae deponere gaudia linguae ?
 304 Nam, siquis putet utilibus conferre cavenda
 305 et velit oppositis rectum cognoscere ab ipsis,
 306 id tamen haud prius, exactis nisi mollibus annis,
 307 audeat, et longo compostis moribus usu ;
 308 quamvis tunc quoque non ullis praesentibus aures
 309 inquinat : ipse legat moneo quae multa relatu
 310 foeda, nec admissio violet male teste pudorem.
 311 Nonne vides vitaeque graves et moribus olim
 312 inter se licet alterno sermone remissos,
 313 non nisi contecto quaedam capite inque voluto
 314 dicere ? Tanta bonis servandi cura modesti est !
 315 Aut namque est fugienda omnis lascivia prorsus
 316 aut sic attingenda, velut qui castra sequutus
 317 hostica barbarici explorat catus agmina valli,
 318 militiaeque acri primis consuetus ab annis
 319 marcentes epulis passim luxuque fluentes,
 320 scortaque craterasque inter patriosque ululatus,
 321 ridet, et in longum mentem vovet hostibus illam.
 322 Forsitan et Satyros ponam qua parte requiris :
 323 utile nimirum est virtutem audire loquentes,
 324 si modo virtutem, non pessima quaeque loquuntur
 325 flagitia et foedant etiam bona siqua pudendis.
 326 Nam qui multa negat linguae reticenda modestae
 327 et putat in solis crimen consistere rebus
 328 aut hominem populo ceu poma feracia testae
 329 inserit, ah, tenerae ne se mihi perditus auri
 330 insinuet pulchrumque pudens canis ore lacessat :
 331 nec gnarus naturae hominum, quae turpia visu
 332 abdidit amovitque oculis latitantia nostris,
 333 provida in exemplum atque imitamina gentibus aegris,
 334 nec Phoebi Aonidumque novem sortisque professae.
 335 Nam quis non videat sacrum, caelestia dona,
 336 carmen et ex ipsis adytis quandoque profectum,
 337 non homini tribuisse deos, ne scilicet error
 338 devius et culpae scelerum praecone carerent,

339 sed neu relligio divum contempta jaceret,
 340 neu virtus laudata parum, neu semina prima
 341 ignorata vicesque astrorum et legifer axis
 342 et quid quisque sibi aut patriae, quid debet amicis ?
 343 Sed neque vere novo quot sese floribus arbor
 344 induat autumno refert, nisi mitia servat
 345 et totidem ramis suspendit poma gravatis,
 346 nec quantum tener egregia puer indole possit,
 347 si non, Socraticae mox inflammatus amore
 348 Pallados, Aoniis non transfuga manserit antris
 349 aetatis partem haud minimam, vetera acta priorum
 350 evolvens vitamque educens inde futuram :
 351 quoque modo servet laudatum ad cuncta decorum
 352 (nec facilis servare labor, nisi deligis artem
 353 vivendi finemque animo proponis habendum)
 354 quoque suos actus signo quasi dirigat omnes,
 355 Virtutis pulchrae memor atque unius honesti,
 356 ne velut Ionio deprensus nocte silenti,
 357 ignarus caeli atque aurae, dum dextera laevis
 358 perturbat, longo huc fluctu jactatus et illuc
 359 actus eat pelago et saevis ludibria ventis,
 360 donec inhaerentem scopuli excepere Ceraunei,
 361 frustra jam implorantem undas et fata querentem
 362 seque accusantem, ah miserum ! et delicta fatentem.
 363 At vitae instituat quam quis genus, ante necesse est
 364 ingeniumque capax pueri penitusque videre
 365 naturam et quales animorum in singula vires,
 366 quid jam tum eximie, quid non feliciter audet :
 367 hic salibus melior blandis, vitae ille severae,
 368 ambitione alius magis applausuque Quiritum
 369 temptatur studioque aurae popularis inani.
 370 Nonne vides ille ut galeas et splendida tantum
 371 tractet tela manu, placidam probet ille quietem,
 372 ille nihil non dissimulet parvosque sodales
 373 jam tum fallat, hic ingenue putet omnia agenda,
 374 indignans vicisse, palam nisi vicerit hostem
 375 congressus campoque audax concurrerit aequo ?
 376 Has leges fatale animis venientibus astrum
 377 imposuit caelique ascendens hora potentis,
 378 tempore quo primum gravidae pigra pondera matris
 379 formamus miseri atque alto descendere Olympo
 380 cogimur, humanae passuri incommoda vitae.
 381 Ergo, ubi naturam penitus perspexeris omnem
 382 ingenitasque artes pueri et clinamina prima,
 383 quamvis multa magis fortasse aliena placebunt,
 384 nativis tamen insistendum dotibus atque
 385 audendum nihil omnino pugnante Minerva :
 386 Quippe sequi id demum insipere est, quodcumque nequimus
 387 assequi et egregia nostrum cum laude tueri.
 388 Nam quid in Isthmiaco diversum agitare juvencos
 389 pulvere et affusae risum praebere coronae
 390 aut terram Argei generosis scindere alumnis ?
 391 Siqua tamen vitiosa (ferunt nam multa novales
 392 ipsae etiam vitiosa, nec est teres undique quicquam),
 393 siqua igitur vitiosa, omni de pectore cura
 394 depellenda procul vel, si minus id licet omne,
 395 flectenda in melius, rerum discrimine parvo
 396 saepe malis dirimente brevi bona calle propinqua,

397 pleraque vivendo minuenda interque legenda,
 398 ante tamen vires mora quam exitiosa diesque
 399 afferat et fibras penetret cacoethes in imas
 400 mortiferum, agricolae cura monstrante sagaci,
 401 agricolae, qui primum olim lactentibus herbis
 402 lappas et lolium atque infelices paliuros
 403 persequitur sterilemque vetat succrescere silvam,
 404 assiduus terram rastris operaque fatigans
 405 feminea : it magnum latis longo ordine campis
 406 agmen et incurvum solantur voce laborem,
 407 at procul aspiciens credit pecus ire viator.
 408 Imprimis sedandae hyemes quasi totaque mentis
 409 tempestas motusque omnes sub signa vocandi
 410 constanti ratione et certa lege domandi,
 411 ne, velut effuso sessore equa trima, vagati
 412 longius abjiciant rerum finemque modumque
 413 transversumque ferant hominem, nec dicta parati
 414 excipere et jussas trocleis intendere funes
 415 nec nati dare, natura prohibente recurva,
 416 providaque e summa puppi torquere gubernam,
 417 sed pecudum fugere atque sequi nimis omnia ritu
 418 inconsulte, incomposite, nec pectora tantum
 419 atque intus turbare animum, verum extima saepe
 420 membra quoque ac vocem et vultus mutare priores.
 421 Quod nisi commoti dominatrix certa furoris
 422 adsit et excussos ratio pulcherrima frenos
 423 ore remordere ac jussis parere lupatis
 424 cogat, eant nulla in praeceps tardante ruina
 425 perque enses et tela immissosque urbibus ignes,
 426 non secus atque olim noto rectore soluti
 427 flammiferi Phaetontis equi, cum foedera rerum
 428 triste chaos veteremque expavit machina acervum
 429 audaci culpa unius votoque protervo,
 430 respexitque suum, Phlegrae post fulmina, telum
 431 Juppiter et missis solvit pater ignibus ignes.
 432 Nam, ceu corporis in membris sua munera cuique
 433 sunt data, nec partes oculi pedis aut oculorum
 434 bracchia, non humeri poscunt pulmonis anhelii,
 435 sed contenta bonis naturae singula degunt,
 436 sic, animi quoniam varia est vis atque potestas
 437 (una etenim imperio, geminae parere tributae),
 438 cuique suae usurpandae artes, nec sorte movendum
 439 decretoque Jovis praescripta et lege Promethei.
 440 Nam perhibent, perfecta hominis compage, Prometheum
 441 continuo admisisse deos ipsumque Tonantem
 442 regali luxu acceptos epulisque paratis.
 443 Forte aderant triplices praestanti aetate sorores,
 444 cura quibus mensas struere et dare brutia nigra :
 445 sed patria Logus hanc olim pietate receptam
 446 ambrosiae assuerat divinae et nectaris haustu,
 447 illas lacte ferae Scythicis aluere sub antris.
 448 Hic opere eximie laudato atque arte magistra,
 449 "Immo age," caelicolum pater, "has quoque, docte Prometheu,
 450 adjice", ait, "nec te labor aut cura ulla retardet,
 451 quin opus egregium atque aevum mirabile in omne
 452 tergeminis his virginibus quasi civibus ornes.
 453 Sed, ne forte duae (neque enim leve pectoris hausti
 454 crimen habent referuntque Estetea fronte parentem)

455 omnem animis molem exturbent, praecordia subter
456 ponito ventorumque dato regione secunda
457 ferre vices magni praeclaro imitamine mundi ;
458 hanc autem, motos componere sola tumultus
459 quae sciat et placida late regere omnia pace,
460 mandatricem operum media procul arce locato."
461 Commento applausere dei, imprimisque Prometheus
462 (sensit enim quantum aeternis immane caduca
463 concedant) orat precibus rata dicta manere.
464 Ergo omni exercendae opera et sua cuique facultas
465 agnoscenda usu et rerum assuetudine certa.
466 Namque dabunt animos paulatim infractaque jusso
467 colla iugo dominamque ediscent ferre volentes ;
468 frena tamen retinenda manu pressaeque catenae :
469 nam neque sessor equo, longa licet arte manuque
470 edomito, totas ideo concedit habenas,
471 sed gressus regit et stimulis saepe acribus urget
472 exploratque fidem et cogit meminisse magistrum.
473 Nam saepe insurgunt domitae et solito arma capescunt
474 acrius, extremum annixae quasi corpore venae
475 aut cum deficiente alimento flamma repente
476 emicuit luce et subita tectum omne replevit.
477 Hoc ubi, dura magis contendere vincla memento
478 spemque resistendi eripere et compellere primis
479 impetibus veniam orare erroremque fateri,
480 dum servata sequi carae vestigia tandem
481 assuescunt dominae et mandata capescere aventes.
482 Praecipue fugienda procul memorantia culpa
483 omnis et indecorum turpes fomenta ministri,
484 nec quisquam sine delectu sine iudice certo
485 convictu temere cari admittendus alumni.
486 Ipse autem teneris jam tum mihi laetus ab annis
487 mirari senium et parere monentibus ultro
488 aetatemque rudem fulcire aetate magistra
489 ac similem quandoque deos sibi poscere mentem.
490 Nunc multos blande affari atque incessere castis
491 interdum salibus, modo respondere benigne
492 omnibus et nullum non tempore laedere dicto.
493 Nam neque compellare isdem sermonibus omnes,
494 sed bello super atque armis rogitare magistros
495 bellandi, nautas super aequore, denique laetos
496 sementum de messe, canes nutrire paratos
497 de canibus, peregre venientes quae loca et urbes,
498 quos fluvios, quid quisque ignoto viderit orbe,
499 alteriusque memor facti dictique probator
500 raro nec ingenue de se nisi nota profari ;
501 quamvis expositae cutis idem animique reposti
502 et blando illustris famae percussus amore,
503 praeferat obscuris Pelidae funera canis
504 praereptamque sibi laudem gemat acta parentis,
505 degener haud propria regni virtute parati.
506 Interea servare vicem atque alterna modestus
507 alloquia et coeptis finem quoque ponere verbis
508 pluraque narratis audire et condita habere
509 pectore, nec linguae temere indulgere volucris
510 aut studio respondendi plectus inani
511 denudare palam melius quae multa latebant.
512 Multum adeo placidae comis pellacia vitae

513 blandaque personae vox majestate retenta
 514 saepe movent, nec vero alia magis arte tot annos
 515 vidimus (infandum) duro servire tyranno
 516 Italiam et pelagi tabo freta marcida Etrusci
 517 volvendisque ducum miserandae stragis acervis :
 518 et dabat occultae documenta haud mollia mentis
 519 ille quidem toto longinqui tempore regni :
 520 sed quotus alterius melior sibi quisque periclo est ?
 521 Quo magis est reputandum animo, quae denique recti
 522 ipsius vis, tanta potest ubi fucus inanis
 523 tantum umbra sibi virtutis promittere vana
 524 atque animis hominum sese insinuare repostis.
 525 Quod siquis nihil ad speciem quod spectet honesti
 526 negligat atque decens nulla non parte requirat,
 527 in motu quoque non minimum gestuque virili
 528 ponet et indignos removebit corpore comptus
 529 illecebrasque supervacuas et Gange petitam
 530 luxurie stactam imbellem costique liquores,
 531 iudice vix teneris mare non prohibenda puellis.
 532 Nam quid malobathro et myrrha perfusus olenti
 533 vir praestare queat quique emollire venenis
 534 corpus et Hispanae pellem de more maritae
 535 quaerat ? Amat propria spectari laude virilis
 536 forma, nec Assyrium quam se magis optat olere.
 537 Est etiam pars vestitus non ultima habenda,
 538 non boream modo uti defendat iniquaque flagra
 539 corporibus dubiasque vices mutabilis anni,
 540 sed quia non aliter fortunae oculisque tuentum
 541 fit satis, et tanta majestas regia dote
 542 prodita plebeo vilis sordescit amictu.
 543 Nam, qui iudicium de se et communia vota
 544 negligit aut metui potius quam quaerit amari,
 545 demens, nec videt imperium popularibus auris
 546 praecipue et solido vulgi constare favore
 547 (qualis erat modo qui regni non ante ruinam
 548 sensit, quam subitis fractus successibus hostis
 549 privato caput exilio rex obtulit ultro)
 550 aut nescit contempta semel vanescere regna
 551 fortunamque quati, male majestate soluta :
 552 nec vero ratione alia lita templa metallo
 553 quaesitaeque olim ducibus sellaeque rotaeque
 554 tot pictae, tot palmatae sceptrique superbum
 555 insigne et collo pendentes divite gemmae.
 556 Sed modus optimus in rebus : tantum extera desit
 557 seu levitas seu luxuria advectusque peregre
 558 ornatus novitasque animo non digna modesto.
 559 Nam citharae cantusque atque enervantia mentem
 560 instrumenta lyrae et priscis quoque tibia probro,
 561 illa quidem mensis interdum adhibenda potentum
 562 virtutesque virum memorandae et splendida facta,
 563 sed non attingenda etiam, aut sine testibus ullis
 564 attingenda domi, nec honor quaerendus ab illis,
 565 sed requies curae brevis ingenioque levamen.
 566 Sed neque sub crotalo tenerum latus arte movere
 567 regnator meus et morum quandoque futurus
 568 arbiter Aethiopum discat saltare puellas
 569 atque Agarena sequi molles ad tympana motus,
 570 aetatis licet obprobrio corrupta reclamet

571 nobilitas choreasque assueti plaudere reges.
 572 Nam quid jam miseri non vidimus, impius ex quo
 573 Havarus et Gotthis Herulus permixtus et Unnis
 574 et rabies Longobarda et Germanicus Albis
 575 irrupit Latio, fatisque exercita tandem
 576 Roma sacerdotum patuit miseranda rapinis,
 577 perque nefas divisa ereptaque venditaque auro
 578 imperia et partes armis variantibus ortae,
 579 atque animi, invidia inflammati odiisque suorum,
 580 externas sibi quaerere opes peregrinaque malle
 581 regna pati quam desertis concedere fractos
 582 partibus et fastus gentilis ferre tyranni.
 583 Hinc veluti sordes tota rate plurimaque hausti
 584 aequoris illuvies imum petit atque suoapte
 585 sentinam facit ingenio, sic undique culpae
 586 contractae transversum animos egere priores
 587 virtutesque mares corrumpit mollior hospes
 588 atque nefas fasque impune et sacra versa profanis.
 589 Tantum autem culpasse omnes mirabile non est
 590 nequitiam Venerisque malos damnasse furores :
 591 nam neque dejiciat quod nos pecudum atque ferarum
 592 naturae quicquam magis aut penetralibus imis
 593 excutiens aequae et mentem de sede revellens,
 594 nec tot confluxere aegris mala gentibus unde
 595 atque neces atque exilia atque incendia saepe
 596 regnorum, et simul Europae funesta Asiaeque
 597 arma decennali ducentia quaeque ruina,
 598 heu, male speratis Lacedaemoniis hymenaeis.
 599 Nam quid ego, veterum repetens exempla, revolvam
 600 Tarquinius Appique nefas immane furentis
 601 aut infelicis Messenae tristia bella
 602 virtutesque tot egregias bellicae domique
 603 Demetri et rarum divinae mentis acumen
 604 spurcicia miseraeque sepulta libidine vitae ?
 605 Quid Scyllas, quid Medeas, quid Gnosida turpem,
 606 cum deserta etiam post tanto Hispania bellis
 607 monstret adhuc fera femineae monumenta rapinae,
 608 cum Malatestarum pateant mala, cum tua, Guido
 609 infelix, cum Manfredi miserandus iniqui
 610 exitus et furiis Janarum exercitus orbis
 611 atque huc atque illuc confusae saecula ruina ?
 612 Atque ideo puerum a coetu et muliebribus arcent
 613 illecebris residesque avertunt pectore curas
 614 aut duro illum venatu castoque labore
 615 silvarum exercentes aut insultibus acris
 616 Aemathii, non Gnosiacae contendere cornu
 617 arte rudem visamque procul fixisse volucrem,
 618 non torquere manu validam juveniliter hastam
 619 aclydaque intorto stridentem aptare flagello.
 620 Saepe etiam saltu quatiunt durantque palaestra
 621 Actaea pugnaeque assuescunt membra futurae,
 622 sive lacessere opus sive hostem exire necesse ;
 623 tum boream aestivosque docent contemnere soles
 624 sub Jove Spartanumque Eurotam ferre decembri,
 625 nec sudore famem nisi nec nisi pulvere somnos
 626 velle pati, et jam tunc invento pascere frugi
 627 naturam modicis contentam et sponte paratis.
 628 Atque haec cuncta puer primis mihi regius annis

629 audeat egregiamque animi vim suscitet usu
630 virtutemque ultro atque instantes ferre labores.
631 Nam, quamvis sponte ingenii generosus honestum
632 appetit agnoscitque omnis, tamen aurea si non
633 accedit doctrina et promovet insita cultus,
634 aegrescit praeclara habitu natura maligno
635 paulatim, culpaque premunt bene pectora nata
636 atque omnem captum eripiunt, ceu febre gravatus
637 cum jacet et venis jam se haud capit igneus ardor :
638 ille tamen panacemque bonam Phoebeaque vina
639 aversus fugit et sensu contraria poscit
640 corrupto miser atque odit meliora locutos.
641 Nec tibi sit solum curae exercere, sed una
642 delige quos socios studiorum adjungere possis
643 aequales, quos monstratis puer artibus ante
644 ire velit contraque obniti intentius acer.
645 Quin etiam pharetraeque leves atque aurea frena
646 victori statuenda probrosaque praemia victo,
647 ut quem verus honor nondum eccitat, eccitet aeger
648 hunc dolor alteriusque humeris splendentia dona,
649 acceptamque notam reputans secum, aggravet ipse
650 dedecus et segnem lacrimis sese increpet ultro
651 incendatque pudore animos et suscitet ira :
652 qualis, Cecropii Eridani aut prope curva fluenta
653 ludentis totiensque Nedae vada laeta plicantis,
654 armento pulsus patrio regnisque juvencus
655 maeret inexhaustum exilia et rivalis amari
656 successus, plagarumque immemor atque laboris
657 unam secum ignominiam amissosque hymenaeos
658 mente agitat, quernoque obnixus cornua trunco
659 jam tum hostem vocat in pugnam Martemque lacessit,
660 ipsam animam dare jam pulchra pro laude paratus.
661 Quod siquando ducem (neque enim non tristibus armis
662 miscendus jam tum et vallum assuescendus amare),
663 ergo ducem emissis siquando praeficis alis
664 atque inimica jubes duro quaterre oppida bello,
665 non illum magno Hannibali aut oppone Gilippo,
666 nec sine pugnacem primis incessere Thracam
667 auspiciis : Lybiae manus et magis apta vehendis
668 mercibus Aegypto Venetum est caedenda juvenus,
669 paulatimque augendi animi et quasi Sarmata falco
670 ducendus, superando facillima quaeque, gradatim.
671 Nam facile exsultantem animum compescere rerum
672 notitia docilique accessu fertilis aevi,
673 et quantum humanis hera possit Adrastea rebus,
674 nec quisquam audax est adeo, praesentia quem non
675 concutiant horrenda et durae mortis imago,
676 ante oculos faciem exsertantis putridaque ora
677 sanguine et huic aurae supremum Acherunta minantis.
678 Nam contemnere opes superum et Jovis acta lacertis
679 fulmina, nec scopuli venientem horrere ruinam,
680 et nulla ratione enses ruere inter et ignem,
681 desipere id demum, quamvis plerumque videmus
682 ante tubam tales et adhuc procul hoste manente
683 turpia vicino foede dare terga periclo,
684 nec sufferre oculis venientem cernere contra.
685 Ergo ubi regrediendum homini, quoque usque videndum,
686 haud quia non cuicumque animanti optabile dulcem

687 conservasse animam et multis quoque saepe tributum
688 eximiae laudi fato cessisse ruenti,
689 nec posuisse leves rumores ante salutem,
690 sed quod multa dies varius volvendaque rerum
691 fert series, cum seu patriae poscente juvandae
692 officio seu tutandorum forte suorum
693 vitandaeve notae, turpe est sibi parcere forti
694 et vitam egregio non impendisse decoro.